



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor  
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum  
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliæ Consultor,  
Coordinatus, Seu Omnes ...**

**Diana, Antonino**

**Lugduni, M. DC. LXXX.**

104. An quis incurrat in censuram, si literæ ad Cardinalem scriptæ, ad illum non perueniant? Et casus nouus apponitur, videlicet, an si quis daret in Rotaliteram Cardinali, qui tunc non legeret, ne ...

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76442](#)

In hoc  
anno in  
fina  
vol. 107

suram Pij IV.loquendo cum aliis extra Conclave de rebus pertinentibus ad electionem, peccabunt tamen mortaliter, & qui cum ipsis loquentur peccabunt etiam mortaliter propter cooperationem, quod idem dicendum est de loquentibus cum Dominis Cardinalibus. Nota etiam secretam locutionem de qua sermo habetur in cap. vbi periculum, tametsi ad electionem Pontificis non pertineat, affirmat Bonacina *disput. 2.* q. 2. p. 34. num. 10. huic excommunicationi subiici. Quid in foro externo verissimum est; at in foro conscientiae difficultate non caret, cum nequam obstat, neque obstat possit fini per hanc legem intentio. Ita Palau tom. 6. *disput. 3. punct. 31. num. 1.* verum si secreta locutio non pertineat ad electionem, censura afficiuntur non tamen Pape reseruata.

#### RESOL. C IV.

*An quis incurrat in censuram, si litera ad Cardinalem scripta ad illum non perueniat?*  
*Et casus nouus apponitur, videlicet si quis daret in Rota literam Cardinalem, qui tunc non legeret, ne videretur, & postea literam perderet, an inquam, in tali casu uterque incidet in censuram?*

*Ex quo deducitur assaffinum, si vulnerauit animo occidendi, & vt occideret, fecit, quantum potuit, non sequuta morte, ordinaria pena non esse puniendum?*  
*Ex part. 12. tr. 2. Ref. 12.*

**§.1.** O bseruandum est hic cum Serio vbi supra, non nulli affici excommunicatione prefati capitis, qui litteras alicui Cardinali scripsit, sed ille ad Cardinalem non peruerenter, etiam si forte is, qui eas intercepit, eidem Cardinali significauerit, quid in ipsis continetur, quia effectus ex parte mitementis non est consummatus.

2. Sed difficultas est, *An si quis daret in Rota literam Cardinalem, qui tunc non legeret, ne videretur, & postea litteram perderet, an inquam in tali casu uterque incidet in censuram?*

3. Videatur affirmatiue respondendum, quia deuenit est ad actum proximum, & per ipsos non stetit, quod autem littera non fuerit lecta, per accidens evenit. Ergo delictum fuit ex parte vniuersique consummatum.

4. Respondeo distinguendo delictum fuisse consummatum, materialiter, concedo, fuisse consummatum formaliter, nego. Ergo cum simus in materia odiosa, stricte interpretanda; non debemus in hoc casu attendere consummatum delicti materialiter, sed formale. Probatur quia tam scribens, quam Cardinalis non assequitur est finem propter quem missa est illa littera, quia lecta non fuit, & ideo in ea contenta scita non fuerunt. Confirmatur haec opinio quia non desunt Doctores afferentes probabiliter assaffinum si vulnerauit animo occidendi, & vt occideret fecit quantum potuit, non sequuta morte, ordinaria pena non esse puniendum: at in isto casu gaudet immunitate Ecclesie, vt determinauit Sacra Congregatio in una Bononiensi die 10. Aprilis 1628. & in una Florentina 10. Iunij 1636.

& docet Donatus de Afyliis refol. 109. num. 3. & alii. Sic, & in casu nostro, licet deuenit sit ad actum proximum, & per supradictos non stetit quin litterae legerentur; tamen quia reuera lecte non fuerunt, res permanit in eo statu, ac si litterae non peruenissent. In manus Cardinalis, &c. Et ideo delictum non fuit cum effectu consummatum. Non habeo pro hac sententia Doctorem in terminis: sed omnis opinio in

principio sine auctore incepit, verum remitto me iudicio doctorum virorum. Et quidem video Bonacinam num. 8. & 9. constitutre hoc delictum eo ipso, quod litterae recipiantur, & ad Cardinales peruenient, dummodo ipsi sciunt dictas litteras continere materiam electionis, & ideo Thesaurus part. 2. verb. *Conclave cap. 2.* sic ait: *Mittere nuncium, vel litteras non incurruant censuras istas, nisi nuncij, vel litterae peruenient ad quos mittuntur, quia aetius nondum est consummata.* Ita ille, sed magis claram iterum Bonacina num. 11. vbi docet illum affici excommunicatione, qui aliquid scriptura inuoluit, illudque in Conclave mittit, etiam si putet fore, vt illa scriptura non legatur, adhuc enim dicitur mittere aliquid scriptum ad eos qui in Conclavi existunt. Et ad exemplum adductum de assaffino, contraria sententia videtur esse communior, & illam tenet Couarruicias, Carrerius, Corneus, Decianus, & alii, quos citat, & sequitur Megala in 3. part. Inst. lib. 4. cap. 2. question. 1. num. 10. afferentes assaffinum esse puniendum pena ordinaria, si deuenit ad actum proximum, licet mors sequuta non fuerit, & adducunt rationem, quia per ipsum non stetit.

#### RESOL. C V.

*An si Cardinalis, qui propter infirmitatem egressus est e Conclavi, scribat litteras ad alios Cardinales in Conclavi, incurrat excommunicationem?*

*Et adhuc inquit, quod dictus Cardinalis debet quamprimum ad Conclave redire?*

*Ex quo sequitur Siculum, v.g. posse virtute Crucis edere laetitiam in Regno Neapolitano, si sit in Siciliam statim redditurus?*

*Et notatur Cardinales exenteus e Conclavi prabere iuramentum acta in Conclavi circa electionem nemini manifestandi?* Ex part. 12. tract. 2. Ref. 12.

**§.1.** A ffirmatiue videtur respondere Castrus Palau tom. 6. *disput. 3. punct. 35. num. 1.* vbi sic ait. Verum si contigerit aliquem Cardinalem extra Conclave existere, & nuncium, vel scripturam ad existentes in Conclavi mittere, credo huic excommunicationi subiectum esse, quia nulla est ratio ob quam excusari possit, si quidem sub generali prohibitione mittendi nuncium, vel scripturam ad existentes in Conclavi comprehensus sit. Ita ille, cui adde novissime eruditum Iosephum Gibalium in *Synopsi censurarum ver. electio num. 6.* Sed ego probabiliter salvo aliorum iudicio existimo, Pontifices in dictis Bullis non loqui de Cardinalibus in ordine ad hunc casum; & ideo sicut possunt scribere litteras sibi inuicem intra Conclavem, sic etiam extra, nam ipsi inter se hic, & nunc quoad electionem Pontificis constituant unum corpus. Adde, quod cum dictus Cardinalis ex iusta causa non est in Conclavi, & debet quam primum ad Conclavi redire; ideo non dicitur absens à Conclavi, nam statim redditurus, non dicitur à loco abesse, sed praesens esse. Et idem dixit Amicus in *Curſ. theol. tom. 5. diff. 5. seqq. 16. num. 359.* quod moraliter consenserit loco praesentes, & vt praesentes in ipso irre habentur, qui mox sunt reuersuri. Vnde ego fatig probabiliter \* docui Siculum verbi \* Docuit in gratia posse virtute Bullæ Crucis edere laetitiam in Regno Neapolitano, dum absit scandalum si sit in Siciliam statim redditurus, quia non dicitur absens. Et ita me citato, tenet novissime Marcus Serius to. 2. in *Bullam Crucis diff. 7. §. 5. 10. n. 2.*

2. Confirmatur superius dicta authoritate leg. Postulaminij §. captiuus, & leg. nihil. ff. de captiuis & postlimi-

\* Docuit in  
tom. 4. tr. 3.  
Ref. 161. & in  
alii eius  
principiis, & se-  
cundis notis.